

Q. V. B. 8

# THESES PHILOSOPHICÆ,

QUAS,  
SENSU AMPLISS. FACULTATIS PHILOS.  
IN REGIA ACAD. ABOENS.  
PRÆSIDE

*Maxime Reverendo atque Celeberrimo VIRO,*

**D. N. DOCT. CAROLO  
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

PRO GRADU,

*Publico examini modeste submittit*

Alumnus Regius

**SVENO NYBELIN,**

SMOLANDUS.

In Audit. Majori, Die XI. Junii MDCCLVII.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

THE  
PHILOSOPHICAL


CONSERVING AMPLIFIED TREATISES  
IN REFINED AND ABUNDANT  
FRASIDE

Maximus Reverendus Magnus Celsissimus Viro,  
D. D. CAROLO  
MESTERTON,

Log of the Philosophical Society  
FRANCIS HADON, Author, &c.  
Lectures on the Philosophy of Language  
Lectures on the Philosophy of Language

SVENNO NARBELIN  
in Audis Majori, Dec. 21. anni MDCCLVII.  
H. A. M. S.

ALOE, IMPRINTED BY G. T. BAKER, & T. BAKER, DUBLIN.  
Printed by JACOB MERRILL.



THESIS I.



**A**D vitam bene & prudenter  
 agendam Philosophia utilis, dum a-  
 ctionum liberarum directioni infer-  
 vit. Quem usum cum agnosceret  
 Cicero, eam nunc magistram nunc  
 ducem vitæ appellavit, vitam sine Philosophia nul-  
 lam esse, persuasissimus.

THES. II.

**N**Ullum est in Republica munus, nullum quoque  
 datur vitæ genus, in quo sincera virtus non  
 pluri

plurimum utilitatis afferat. Quamobrem non minus cultura voluntatis, quam intellectus sollicitè inculcanda; quod docet Philosophia Moralis,

THES. III.

**N**Ovi equidem esse longe plurimos, qui sibi persuadent, Logicam naturalem abunde sufficere; artificialem in spem futuræ oblivionis addisci. Hi vero vel spuriam didicerunt Logicam, vel genuinæ sensum non rite perceperunt, vel denique de ea applicanda parum solliciti fuerunt,

THES. IV.

**S**I quis differentiam, quæ intellectum systematicum & non systematicum intercedit exemplis doceri cupit; is scripta Cartesii cum scriptis Gassendi conferat.

THES. V.

**R**epublicam administraturus non pro suo arbitrio facere debet, quæ reipublicæ causâ suscipienda

pienda sunt; Sed hanc supremam in omnibus tenet legem, ut non faciat, nisi quæ communi omnium bono promovendo & securitati ac tranquillitati publicæ conservandæ inserviunt. Qui Philosophiæ perspicillis utitur facile videt, legem hanc exacte observari minime posse, nisi & acumine philosophico præditus fueris & notionibus philosophicis probe imbutum habueris animum.

THES. VI.

**L**icet impossibile cuidam esse credamus, rationem legalem omnium reddere legum; absit tamen, ut nobis persuadeamus, illarum legum, quarum ratio nos latet, nullam dari.

THES. VII.

**C**onsvetudo requirit actiones liberas externas, quatenus spectant ad societatem. Si ergo aliqua consvetudo oriatur, sive contra jus, sive præter jus, & ad principis perveniat aures, qui impedire eandem potuisset; quod tamen non facit; ille eandem permittere velle colligitur. Subditi vero secundum eandem agendi jus quidem habent licentiæ seu impunitatis, non autem legale seu obligationis.

THES. VIII.

**P**ermagnam hominibus utilitatem affert ars conie-  
ctandi hominum mores. Neque enim solum  
eadem juvat legatos Principum ad principes, sed  
promiscue homines omnes in omni vitæ genere; cum  
nemo sibi soli vivere possit, sed singulis res sit cum aliis.

THES. IX.

**Q**ui dicunt res visibiles prodixisse ex nihilo nullam-  
que sui causam agnoscere, sibi ipsis contradi-  
cunt. Nam entia contingentia & arbitraria, quæ ne-  
que causam externam neque internam suæ existentia  
habent, vel quæ junctim considerata a nulla causa  
efficiente producta sunt, absurda sunt & contradictoria.

THES. X.

**Q**uemadmodum mundi hujus corporei existentia  
in dubium vocari sine maxima temeritate haud-  
quaquam potest; sic, binos vel plures ejusmodi  
mundos existentes fingere, vanitatem sapit.

THES. XI.

**C**ujusvis rei essentia consistit in ejus possibilitate  
intrinsicæ. Ex hac enim ab impossibili, cui  
non

non competit existentia, recte ipsa dignoscitur. Cum itaque repræsentationes possibilium sint ideæ rerum; & intellectus divinus sit actus, non nuda potentia; sequitur ideas rerum Deo esse essentielles; ergo necessarias; ergo æternas.

THES. XII.

**S**I leges motus considerentur in concreto, concedimus quodammodo, eas esse necessarias; neque enim alias hic mundus esset, sed alius.

THES. XIII.

**M**ala physica in se spectata non sunt mala; cum nihil aliud sint, quam effectus naturales, qui secundum naturæ ordinem fiunt, eumque minime turbant; sed relative ad homines, qui ex his effectibus naturæ damnum capiunt, propter mala moralia, quibus homo implicatus est.

THES. XIV.

**V**ulgo Philosophi immortalitatem cum indestructibilitate confundunt, se illam sufficienter demonstrasse putantes, ubi animam a morte corporis superesse adstruxerint. Hoc vero nobis perinde videtur, ac si quis ex indestructibilitate materiæ argueret, corpus esse immortale.

THES.

THES. XV.

**A**Ditum ad veræ sapientiæ & eruditionis templum omnibus desiderantibus patere, nemo inficias i- bit. Quod vero paucissimis adire Corinthum contingat, non ipsi sapientiæ aut eruditioni adscribendum esse putamus; verum impedimentis variis, quorum, pro diversitate subjectorum, tanta est copia, ut vix inire queas numerum; quæ tendentes ad sapientiæ adyta vel terrent vel morantur, vel etiam a gradu, quem forte assecuti sunt, cito rursus dejiciunt.

THES. XVI.

**I**Nter alia veræ eruditionis impedimenta non ultimum occupare locum statuimus, quod ab ignorantia veræ ideæ de toto eruditionis systemate, omnibusque ejus partibus, originem ducit; adeoque hujus neglectu & ignorantia fieri, ut via ad veram perveniendi eruditionem multis præcludatur regia.

SOLI DEO GLORIA !!!

